

mutuans in favorem, et commodum mutuatarii, est secundum se pretio aestimabile, adeoque potest mutuans juste pacisci, et exigere, ut illud damnum per mutuatarium sibi compensetur, cum nemo cum suo damno regulariter mutuare teneatur, et soleat. *Communis*, cum S. Thoma 2-2, qu. 78, art. 2, ad 1, et Scotus, in 4, dist. 15, qu. 2, art. 2, n. 18, ubi sic expresse dicit: «Debitur, ex cuius non solutione creditor notabiliter damnificatur, tenetur de iustitia satisfacere creditori de interesse, etc.» Unde merito mirantur Scotistae, quomodo ab adversariis citetur in oppositum, quem si legissent attente, et post eum Matrium in *Theologia morali*, disput. 5, q. 2, art. 3, certe in contrarium non citassent.

(34. Ut autem iuste et licite exigatur talis compensatio damni emergentis, requiruntur tres conditiones. Prima, ut ipsum mutuum sit revera causa talis damni emergentis, quatenus ex ipsa mutatione sequatur, quod mutuans damnum sibi imminens non possit reparare, nisi cum maiori damno, vel vendendo res suas viliori pretio, vel alienas sibi necessarias emendo pretio chariori, vel ob occurrentes necessitates accipiendo pecuniam ab aliis mutuam cum usuris; si enim mutuans habeat alias pecunias, quibus possit sibi impedire tale damnum, non potest dictam compensationem exigere a mutuatario, cum revera mutuum non sit causa illius damni. Secunda, ut servetur aequalitas, id est non exigatur ultra sortem, nisi quantum revera est damnum, vel damni periculum. Tertia, ut mutuans expresse moneat mutuatarium de tali damno emergente compensando, fortasse enim mutuatarium nolle cum eo onere mutuum accipere, sed cum minori dispendio vellet alio modo sibi, rebusque suis consulere. *Communis*.

(35. Mutuans potest licite pacisci cum mutuatario, ut ei teneatur praestare aliquid ultra sortem ratione lucri cessantis; si enim quis det mutuum centum aureos, ex quibus alioquin fuisset negotiaturus cum spe intra certum tempus lucrandi alios quinque aureos, potest istos a mutuatario ultra sortem exigere, quia non dicitur petere usuras, sed potius interesse, ne scilicet ipse mutuans, ratione mutui dati ex lucro sibi cessante, damnum patiatur: aliud enim est mutuum, et aliud lucrum cessans ratione mutui dati. Unde quamvis mutuum debeat dari gratis, juxta illud *Lucæ vi: Mutuum date, nihil inde sperantes*, sicque pro mutuo secundum se praecise spectato nihil supra sortem exigi possit, potest tamen mutuans aliquid supra sortem a mutuatario exigere, ut lucrum inde sibi cessans, sicuti etiam damnum sibi inde emergens compensetur; arg. cap. *Pervenit* 2, De fidejussoribus, ibi: «Ne dispendium patiatur, unde videtur premium meruisse.» Et hoc in iure vocatur *interesse*, prout notat *Glossa* in cap. *Quoniam* 14, quæst. 4, atque desumitur ex l. *Si commissum* 13, ff. *Rotam rem haberi*, ibi: «In tantum competit, in quantum mea interfuit, id est quantum mihi obeat, quantumque lu-

crari potui.» Sic communis doctorum, paucis exceptis, et revera etiam Scotus. *loc. cit.*, quamvis ab adversariis in contrarium citetur.

(36. Ut tamen iuste, et licite exigatur huiusmodi compensatio lucri cessantis, requiruntur itidem tres conditiones. Prima, ut revera mutuatō sit causa talis lucri cessantis, id est, ideo alicui lucrum cesset, quia mutuum dat, alioquin non cessaturum, adeoque requiritur, quod pecunia mutuo danda, fuerit revera destinata ad negotiationem, vel ad emptionem alicujus rei fructiferae, et subtrahatur a tali destinata negotiatione, vel emptione, praecise ut mutuatario conferatur. Unde requiritur, quod mutuans non habeat aliam pecuniam omnino otiosam, quam commode possit implicare in negotiatione, seu emptione loco mutuatæ, aliter non poterit lucrum cessans exigere, cum revera in tali casu nullum lucrum ipsi cessaverit ratione talis mutuatæ pecuniæ, cui poterat commode substituere illam aliam omnino otiosam. Dicitur autem notanter *omnino otiosam*: Nam si habeat aliam necessariam ad alios eventus, verb. grat. ad dotandas filias, ad collocandos filios, ad suo statui, seu conditioni provide consulendum, et huiusmodi necessitates, quæ inopinate possunt occurrere, tunc etiam poterit exigere lucrum cessans a mutuatario, quia revera illa mutuatario essent causa cessationis lucri, cum de facto talis pecunia mutuatæ sibi fructificatura esset, nec pro mutuo dando teneretur se privare illa alia pecunia in capsula reservata, tanquam necessaria ad supradictos eventus. Sic Layman, lib. III, tract. 4, cap. 16, n. 8; Molina, t. II, disp. 216; Lessius, lib. II, c. 20, n. 87; Rosignol. *De contractibus*, contract. 3, prænot. 13, n. 8; Sporer, tom. II, tract. 6, cap. 4, n. 44; Lugo, tom. II, disp. 25, sect. 6, a n. 90 ad 93, ubi cum aliis ibi citatis multa ad rem. Secunda conditio est, ut servetur aequalitas, id est non exigatur ultra sortem, nisi quantum istud lucrum cessans valere potest, detractis expensis faciendis, vel aestimatione periculi, ac incertitudinis lucri, et aliis huiusmodi iudicio peritorum in tali arte versatorum, quia lucrum in spe incertum, periculosum et dispendiosum minus valet, quam lucrum in re certum, et securum sine dispendio. Tertia conditio est, quod mutuans praemoneat mutuatarium de tali lucro cessante compensando, quia fortasse ille nolle sub hoc onere mutuum accipere. Et insuper, quod talis compensatio lucri cessantis non exigatur statim, ac datur mutuum, sed postea, tempore conveniente, quo scilicet mutuans fecisset illud lucrum, si non mutuasset, quia si mutuans, v. gr. mille pro quinquaginta, exigeret statim ac mutuatur, dicta quinquaginta, jam non mutuaret mille, sed solum 950 et sic tantum exigeret a mutuatario pro 950 quantum pro mille, quod manifeste illicitum est, cum sic plus exigeret pro lucro cessante, quam lucrum ei cessaret.

(37. Mutuans potest licite exigere aliquid proportionatum ultra sortem ratione periculi

ipsam sortem amittendi, aut difficultatis eam recuperandi: si enim quis ex conditione mutuatarii, qui sit homo dubiae fidei, inops, et pluribus debitis obstrictus, rationabiliter timeat, ut deficiat in solvendo, aut non nisi cum expensis, aut magna molestia sortem ab ipso recuperare possit, potest licite exigere aliquod lucrum tali periculo proportionatum iudicio alicujus experti, cum tale periculum sit sine dubio pretio aestimabile.

(117) *Notæ Romani theologi*. — Novum de mutuo articulum addere constitueram, in quo fusius, et clarius mutui naturam, ac proprietates exponerem, quo facilius lectores possent ex perspicua mutui notione intelligere, quid mutuo intrinsecum, quid extrinsecum sit, atque usuras non apertas tantum, sed etiam occultas, et palliatas agnoscere, et devitare. Sed cum pleraque ex iis, quæ dicturus eram, ad usuram pertinerent, novum hunc articulum septimo adiciendum tomo stabilivi, in quo de usura ex professo disputatur. Hic tamen paucis monendum lectores duxi, ut doctissimis censoribus morem gererem, atque ea animadvertirem, quæ doctissimi huiusmodi viri adnotanda esse existimarent. Itaque primum animadverto, mutantibus serio istud inculcandum esse, ut scilicet mutuent animo charitatis, et benevolentiae, non spiritu avaritiae, vel spe majoris lucri incitati: mutuum enim contractus est natura sua destinatus ad charitatis exercitium erga pauperes, et indigentes. Atque inter Christianos, ut ferventior vigere charitas debet, ita promptior debet esse animus ad mutuandum indigentibus, omni lucrando animo, omnique spe lucri remota. Audiant Christum *Lucæ vi* prædicantem: *Si mutuum dederitis his a quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? Nam et peccatores peccatoribus facerantur, ut recipiant aequalia. Verumtamen diligite inimicos vestros; benefacite, et mutuum date, nihil inde sperantes; et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos.* Duo in illis Christi verbis continentur præcepta, affirmans unum, alterum negans; primum per hæc exprimitur verba *mutuum date*, et ut cætera affirmantia præcepta, semper, sed non pro semper obligat; alterum vero usuram prohibens verbis istis constat, *nihil inde sperantes*, quod negans cum sit, semper, ac pro semper homines obligat. Atque hinc consequitur teneri Christianum hominem ad subveniendum, dum possit, per mutuum proximo suo; nec quidpiam ad huiusmodi contractum exigere, ac sperare licite posse. Non id tamen fit, ut damni inde emergentis justam compensationem exposcere licite non possit. Cavendum vero semper est, ne charitatis loco avaritia, aut lucri spes in animo vigeat; hoc enim in casu contra naturæ legem, ac Christi præceptum ageret.

Deinde invaluit quoque theologorum opinio, quæ omnino certi lucri cessantis compensationem probet. At ne hac via spem lucri, atque avaritiam hominis foveamus, monere hic lectores operæ pretium duximus, opinionem hanc recentem esse, ac facile palliandæ usuræ occasionem præbere posse. Nam apud antiquos Ecclesiæ Patres de hoc lucri cessantis titulo altum silentium est; et antiquiores theologi titulum huiusmodi omnino rejecerunt. Ne vero id gratis asseruisse videamur, transcribere placuit verba doctissimi theologi Patris Dominici Soto, qui *De iustitia et iure*, lib. VI, q. 4, art. 3, conclus. 4, hæc habet. «Quod hoc modo possit lucrum cessans in pactum duci, non est adeo certum, ut patroni assertionis huius arbitrantur, sed est tum minus probabile, tum quamplurimis usurarum periculis expositum. Et quidem, quod non sit usque adeo certum, multis rationibus comprobatur. Primum

Sic Lugo, d. disp. 25, n. 81; Diana part. I, *Tr. de controversiis*, resol. 37; Rosignol., *loc. cit.*, prænot. 13, n. 10; Felix Potestas, tom. I, part. II, n. 2396; Laym., *loc. cit.*, Sporer, *loc. cit.*, n. 52, cum Silvest. Medina, Petro Navarro, Valentia, Sa, Molina, Lessio, et communiori doctorum contra Sotum, Navarrum, et varios alios (117).

(38. Mutuans potest licite aliquid moderatum exigere a mutuatario ratione poenæ

nullam juris, aut canonici, aut civilis legem invenies, quæ hoc permittat: quod certe non est infirmum argumentum. Nam, cum tam frequentes existant, quæ usuras ratione moræ pendi jubent, videlicet dum mutuatur, vel quis creditor invitatus re sua caret, si spontanea hæc lucri cessantis pactio tam plane licita esset, non deesset lex, quæ id insinueret. Mox, si priscos doctores consulas, D. Thomas id negat, consulto dignoscens inter damnum emergens, et lucrum cessans, nempe quod illud licet in conventionem ponere, hoc vero minime. Cujus sententiæ accedit Scotus in 4, dist. 27, q. 2; Durandus, in 3, dist. 37, q. 2, et inter jurisconsultos, Innocentius super cap. *Naviganti*: «Imo inter antiquos, gravesque, seu juris, seu theologiæ doctores, neminem invenies, qui explicitis verbis id astruat, nisi ratione moræ, aut alicujus culpæ debitoris.» Primus, qui expresse contrariam opinionem docuerit, citatur Conradus Sunhemart, recens auctor, inquit idem Sotus, qui cum formidine, et timore eandem defendit, septem conditionibus vallatam. Post Silvester, Cajetanus, Adrianus, qui fatentur esse opinionem modernorum. Tandem temporis successu evasit, ut sit inter juniores communis. Placeat hic afferre verba S. Thomæ 2-2, qu. 78, art. 11, ad 1: «Dicendum, inquit, quod ille, qui mutuum dat, potest absque peccato in pactum deducere cum eo, qui mutuum accipit, recompensationem damni, per quod subtrahitur sibi aliquid, quod debet habere. Hoc enim non est vendere usum pecuniæ, sed damnum vitare: et potest esse, quod accipiens mutuum majus damnum evitet, quam dans incurrat. Unde accipiens mutuum, cum sua utilitate damnum alterius recompensat. Recompensationem vero damni, quod consideratur in hoc, quod de pecunia non lucratur, non potest in pactum deducere: qui non debet vendere id quod nondum habet, et potest impediri multipliciter ab habendo.» Hæc notanda, ac serio animadvertenda lectoribus proposui, ut videant, quam caute homini Christiano procedendum sit in pactione inenda de recipiendo ex mutuo auctario titulo lucri cessantis; cum enim vix quidem contingere soleat, ut exacte serventur conditiones necessariae ad licitam constituendam huiusmodi pactionem, non adeo facile permittendi sunt huiusmodi contractus. Audiant hac de re Medina, et Toleti consilium: ille enim in quæsit, in quibus casibus licitum est mutuanti, etc., postquam conditiones recensivit necessarias ad huiusmodi titulum coonestandum, statim subnectit: «Sed quoniam in his, qui mutantur, rarissime hæc omnia requisita concurrunt; ideo tales contractus, in quibus aliquid ultra capitale ratione interesse lucri cessantis exigitur, dissuadendi sunt, ut fiant.» Toletus vero, in *Instruct. sacerdotum*, lib. V, cap. 55, sub finem capituli hæc habet: «Hæc igitur de lucro cessante dicta sint. Securius est a tali abstinerere lucro, et gratis mutuare, cum nullum damnum emergit.»

Non adeo facile pronuntiandum est, licitum esse lucrum mutuanti propter periculum, cui exponitur, amittendi sortem. Primum enim illicitum illud videtur jure illo divino, quo mutuum ad pauperum levamen destinatum est, quoque pauperum vitia est oppressio per illa verba *Exodi xxi, 25*: *Si pe-*



conventionalis. Si enim mutuans conveniat cum mutuuario, ut si tempore præfixo mutuum non restituerit teneatur in pœnam

*cuniam mutuam dederis populo meo pauperi, usuris non opprimes eum.* Porro si Deus præcipit ut gratis mutuum detur pauperi, si mutuum dare jubet indigentibus, nihil inde sperantes, quis non videt aperte prohibere aliquid supra sortem recipere ob periculum, quod paupertas, et indigentia ipsa secum adrem habere videntur? Nam hoc periculum à tali mutuo inseparabile omnino est. Aiunt auctores, quos Lucius laudat, periculum istud tolli per fidejussores, aut pignus posse, ideoque mutuo extrinsecum esse. At falsum id generatim est. Nam, qui inopia pressi, mutuum postulant, ordinarie non possunt fidejussorem, aut pignus mutuo æquivalens præbere. Cum ergo ii vere pauperes sint, ac etiam cum his servari debeat illud Christi mandatum, *Mutuum date, nihil inde sperantes*, manifestum est nil supra sortem recipere homines posse, dum hominibus huiusmodi mutantur. Periculum ergo istud sufficiens titulus non est recipiendi aliquid supra sortem; nam huiusmodi lucrum manifeste in pauperum oppressionem cederet. Deinde non licet aliquid supra sortem accipere ratione periculi, quod in omni mutuo secundum se spectato reperitur; tum quia non licet aliquid accipere supra sortem pro eo, quod est de ratione intrinseca mutui; alioqui vi mutui præcise liceret aliquid supra sortem accipere: atqui periculum generale est de intrinseca ratione mutui, ut ex ipsa definitione patet; tum etiam, quia mutuantis conditio melior esse non debet conditione mutuarii, plena enim esse debet in omni contractu æqualitas: atqui longe melior esset mutuarii conditio, si posset mutuans aliquid supra sortem exigere ratione periculi intrinsece secundum se spectati; hoc enim periculum subiret ipse mutuans, etiamsi rem suam mutuo non daret; potest enim ea apud illum sicut et apud mutuarium innumeris casibus fortuitis absorberi. Denique « ut mutuatur, inquit Pater Concina, pro periculo pretium exigat, in se periculum suscipere, et mutuarium a periculo liberare debet. Cur enim mutuarius ad solvendum pro hoc periculo pretium astringitur, si a periculo non liberatur? Quid emit, quid accipit mutuarius; ob quod solvere pretium teneatur? Mutuator quid beneficii confert mutuatio præter mutuum? Nihil accipi posse fatentur adversarii præter sortem. Pretium ergo exigit, quin mercedem ullam tradat mutuatio. Iniquum ergo est pretium istud pro nihilo solum. Urgeo sub alio aspectu hanc rationem. Si mutuarius reipsa jacturam pecuniæ mutuo acceptæ patitur, nonne, si solvendo sit, tenetur integram pecuniæ sortem restituere? Dubio procul. Solvit ergo periculi pretium. Nam periculum istud unice spectat sortis jacturam. Ergo quoties mutuarius capitale reddit, totum periculi pretium solvit. Quid plura? Nonne mutuarius in ipsa mutui acceptance suscepit periculum restituendæ sortis? Nonne si capitale mutuatium, vel furto sublatum mutuatio sit, vel negotiationi expositum, vel quocunque alio eventu perierit, ad restitutionem integri capitalis astringitur? Solvit ergo periculi pretium integrum. Pretium enim periculi excedere sortis pretium nequit; cum periculum circa sortem non sit damnum diversum ab ipsa sorte. Credo: potestne mutuarius cogi ad certum pretium solvendum pro damno emergente, quando ipse se velit obstringere ad cuiusque futuri damni compensationem? Negant omnes. Atqui mutuarius reipsa suscipit periculum compensandi omne damnum, quod ex sortis jactura oriri posset; cum se obliget ad restituendam sortem in omni eventu; ergo, dum sortem restituit, plene compensat omne damnum; cum damnum sortis non superet sortis

dilationis solvere aliquid ultra sortem principalem, tunc mutuans potest licite id exigere, et mutuarius tenetur solvere, quia

pretium, ut dictum est. Quid infelix mutuarius, si sortem, vel fortuna adversa, vel iniquis prædonibus rapientibus, amiserit, eam integram reddere debet; et tenebitur insuper pretium solvere, quod has calamitates passus sit, vel pati potuerit? Hæcne evangelica doctrina? hæcne Christi charitas?

« Confirmo rationem adductam furis paritate. Fur subripit centum aureos. Pœnitentia ductus eosdem restituit. Nunquid pretium periculi solvere tenetur creditor? Negant omnes ad unum theologi. Et tamen majus est periculum pecuniæ raptæ, quam pecuniæ mutuatæ. Respondent juniores, paritatem hanc nullius esse roboris. Quoniam ideo fur non tenetur solvere periculi pretium, quia nulla pacta inter furem, et dominum conventio fuit periculi istius solvendi; contra inter mutuatorem, et mutuarium hæc præcessit conventio. Lepidum profecto effugium. Quid nunc in disputationem vocatur? Nonne utrum sit periculum istud pretio æstimabile? An sit titulus verus pretio compensandus? Quid respondes? Negas? Usura ergo est pro illo pretium exigere. Ais? Ergo potiore jure fur, quam mutuarius illius solvere pretium tenetur. Insistis: Nulla inter furem et dominum conventio præcessit. Opponine hæc possunt absque communis sensus præjudicio? Ut conventio justa sit, justo niti titulo debet. Titulus ergo istius mutui pactæ conventionis ostendi, et evinci debet. Et cum titulus a mutuo distinctus, chimericus a me probatus sit, commentitia quoque, et fœneratitia conventio est. Cæterum quomodo præcedere inter latronem, et dominum conventio poterat, si fur, inscio domino, rem surripit? Neque de damno emergente conventio præcessit. Ergo fur compensare damnum emergens non astringitur, si illud passus dominus est. Neque præcessit pactum de restituenda re raptâ. Ergo ad restitutionem fur non tenetur? Sed quid in convellendo vanissimo effugio tempus tero; cum hæc inepta sophismata evidentissimam patefaciant conclusionem nostram? Paucis rem hanc perstringo. Titulus suapte natura justus, et pretio æstimabilis in mutuo, hoc suum pretium non amittit in furto. Et titulus, qui in furto pretio æstimabilis non est, neque in mutuo pretio dignus esse potest. Alioquin melior esset conditio furis, quam mutuarii. Hoc solum inter mutuarium, et furem discrimen est, quod mutuarius neque pretium justitiae tituli, puta damni emergentis, solvere tenetur, nisi præcedat conventio: quia in quolibet contractu libere convenire partes debent. Et quoties mutuator damnum, quod ratione mutui patitur, non manifestat, et de eo, cum possit, non paciscitur, præsumitur illud mutuario donare. Hæc pacta cum fure iniri nequeunt. Ideo fur ultra restitutionem sortis compensare ea omnia damna tenetur, quæ ob furtum passus fuerit dominus, licet nullum præcesserit pactum. Juxta omnes ad unum theologos fur non tenetur compensare periculum amittendæ sortis. Ergo juxta omnes periculum amittendæ sortis, neque in furto, neque in mutuo est pretio æstimabile.

« Verum ratione adhuc evidentiore, et causæ nostræ intimiori confirmo propositionem meam. Finge aliquem per vim, aut fraudem cogi ad mutuum cum periculo sortis amittendæ. Is violentus, vel fraudulentus mutuarius ad quid esset astrictus? Ad restituendam sortem, et omnia damna, quæ tali occasione passus fuisset mutuator coactus, quamvis nullum de his damnis pactum præcessisset. Quid ratione periculi sortis amittendæ? Nihil omnino compensare teneretur, ut omnes fatentur, sicut dictum est de fure. Ergo evidens est periculum non esse a sorte diversum, sicut diversa sunt cætera damna, »

id non exigitur præcise ratione mutui, sed ratione culpabilis moræ solvendi mutuum ultra tempus conventum, seu præfixum: debitor enim, qui est in mora culpabili, peccat contra justitiam retinendo alienum invito domino, adeoque juste punitur pœna conventionali mutuo paciscentium consensu conventa, l. *Stipulationum* 2, § final., l. *Item juris* 3, l. *Stipulatio ista* 38, § 17, *De verborum obligationibus*; cap. *Contractus* 85, *De reg. jur.*, in 6, ibi: « Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur. » Et sic tenet Scotus in 4; dist. 15, qu. 2, art. 2, n. 18; Mastrius, Laym., Molina, Lugo, Sporer, Reiffenst., Lessius, Tamburin., et alii communiter.

(39. Mutuarius qui non pecuniam, sed alias res, v. g. triticum, vinum et huiusmodi mutuatus est, et eas quales esse debent non reddit, aut eas non reddit in tempore seu loco convento, tenetur solvere justam earumdem rerum æstimationem pro tempore et loco in quo eas reddere debebat. (40. Si autem non convenit cum mutuantem nec de tempore nec de loco in quo eas reddere deberet, tunc reddere eas debet secundum æstimationem, quam habent in tempore et loco in quo petuntur et restituuntur, textu expresso in l. *Si merx aliqua* 4, ff. *De cond. tritic.*, ibi: « Si merx aliqua quæ certo die dari debebat, petita sit, veluti vinum, oleum, frumentum, tanti litem æstimandam Cassius ait, quanti fuisset eo die, quo dari debuit; si de die nihil convenit, quanti tunc cum iudicium acciperetur. Idemque juris in loco esse, ut primum æstimatio sumatur ejus loci quo dari debuit. Si de loco nihil convenit, is locus spectetur quo peteretur. Quod et de cæteris rebus juris est. » (41. Si vero res fuerunt mutuo acceptæ secundum æstimationem factam in tempore et loco mutui accepti, tunc mutuarius eas reddere debet secundum talem æstimationem, licet in tempore et loco restitutionis chariores, seu viliores evaserint, l. *Æstimatis rebus* 50, l. *Æstimata res* 90 ff. *Solutio matri-*

Vide, mi Luci, num jure Romani censores improbaverint assertionem n. 57 expositam? Non te, frater charissime, quem summopere diligunt, atque ob morum innocentiam, et probitatem, nec non assiduum litterarum studium, venerantur et colunt, sed opiniones illorum auctorum reprehendunt, quibus usus es in tua consarcinanda *Bibliotheca*; norunt enim ex indole tua, te sententiam mutaturum fuisse, si meliores adhibuisses libros et auctores. Sed age. Sit periculum aliquod sufficiens titulus ineundi pacti, pro assecuranda sorte, quidpiam lucri percipiendi. Nunquid omne periculum sufficiens titulus erit? Nunquid periculum, quod ex inopia et paupertate mutuatio oritur? Absit. Ergo solum periculum, quod vere fundatum sit, quod peculiare sit, quodque ita in pactationem venire possit, ut ob istud decerni auctarium possit, quin vel minima suspicio adsit, lucrari hominem ex mutuo. Difficile vero est, ac vix dari casus potest, ut usura vacet mutuum illud, in quo, ratione periculi, quod externum mutuo existimatur, quidpiam supra sortem recipitur; ut vel auctores ipsi asserunt, qui hanc opinionem tuerentur. Ratio præsto est, quia, ut licite ob tale periculum quidpiam ultra sortem recipiatur, nonnullæ servandæ sunt conditiones, quæ

monio cum similibus. (42. Si tamen æstimatio facta non fuerit in ipso mutui tempore et loco, tunc res reddi debent secundum æstimationem, quam habent in tempore et loco quo restituendæ sunt. (43. Et si non facta æstimatione, neque de tempore, neque de loco fuerit conventum, tunc debent restitui secundum æstimationem quam habent in loco et tempore quo petuntur et restituuntur, textu expresso in leg. *Vinum* 22, ff. lib. xii, tit. 1, *De rebus creditis*, ibi: « Vinum quod mutuum datum erat per iudicem petitum est, quæsitum est, cujus temporis æstimatio fieret; utrum cum datum esset, aut cum litem contestatus fuisset, an cum res judicaretur? Sabinus respondit, si dictum esset, quo tempore redderetur, quanti tunc fuisset; si non, quanti tunc, cum petitum esset. Interrogavi cujus loci pretium sequi oporteat? Respondit, si convenisset, ut certo loco redderetur, quanti eo loco esset. Si dictum non esset, quanti, ubi esset petitum. » Sic quoad omnes has conclusiones passim doctores. Cum enim jus canonicum nihil statuerit contra dictas leges civiles, eas sequi possumus et debemus pro utroque foro, tum exteriori, tum interiori.

(44. Mutuans, accepto pignore a mutuatio, cum pacto, ut interim fructus pignoris lucraretur, nisi adsit alius justus titulus, committit usuram, et tenetur tales fructus perceptos ex pignore computare in sortem. *Communis*, claris textibus in l. *Ex pignore* 1 l. *Quod ex operis* 2, cod. *De pignoratitia actione*, l. *Fundum pignori* 1, cod. *De distract. pignor.*, cap. *Cum contra* 6, et cap. *Significante* 7, *De pignoribus*; cap. *Quoniam* 2, et cap. *Conquestus* 8, *De usuris*. Et ratio est, quia omnis res domino suo fructificat, dominus autem pignoris non est mutuans, sed mutuarius, adeoque pignus debet fructificare mutuatio, et non mutuantem, et consequenter pactum illud est usurarium.

(45. Notanter autem dicitur: « Nisi adsit raro, ac vix unquam servantur. Primo enim necesse est, ut voluntas absit lucrandi ex mutuo, quia secus, excluso quoque pacto, usura mentalis erit. Secundo, periculum debet esse verum, probabilibusque fundatum conjecturis; non autem, fictum, prout facile fingitur ab iis, qui lucrari amant. Tertio mutuatio liberum esse debet, fidejussorem, aut pignus pro assecuratione sortis mutuantis præstare, nec debet cogi ad paciscendum de isto periculo. Quarto, ut mutuans non plus pro isto periculo exigat quam vel ipse, vel mutuarius alteri dare vellet pro huiusce periculi assecuratione. Quinto, ita servandæ sunt justitiæ leges, ut non violentur eæ, quæ sunt charitatis: atqui conditiones illas pauci eorum norunt, qui mutuo dant, pauciores ad praxim redigunt; ita enim plerique lucro inhiant, ut, seclusa ejus spe, mutuo non darent; cum probabile periculum sentiant, mutuo non dant: inter periculi qualitatem non distinguunt; sed ab omnibus æqualiter exigunt; fidejussores, aut pignora recusant, ut quocunque tandem modo aliquid supra sortem recipiant, etc., ergo rarum est ut in rationem non irrepat usuræ fuligo. Vide Continuat. Tournely, et P. Danielem Concina.



alius justus titulus, » qui potest esse quadruplex. Primus igitur justus titulus percipiendi fructus ex pignore sine diminutione sortis, est, si creditor fundum oppignorandum, seu oppignoratum justo pretio emat cum pacto retrovendendi, quoties debitor voluerit pretium refundere; tunc enim fundus, seu alia res pignoris naturam amittit, adeoque non ut pignus priori domino, sed ut res empti emptori, et possessori, tanquam novo domino licite fructificat, ejusque damno perit, donec reddito pretio redimatur. Venditio enim cum pacto redemptionis valida est, et licita, textu expresso in l. *Si fundum* 2. cod. *De pactis inter emptor. et venditor.* Communis doctorum cum Cajet. 2. 2, q. 78, art. 2, ad 6; Lugo, cit. disput. 25, sect. 8, num. 132; Layman, lib. 3, tract. 4, c. 16, n. 17; Sporer, tom. II, tr. 6, sect. 3, n. 102; Reiffenstuel, lib. v *Decretal.*, tit. 19, n. 111.

(46. Secundus justus titulus percipiendi fructus ex pignore, est, si fundus fructiferus acceptetur in pignus, adjecto contractu censuali, per quem subministrans pecuniam ex fructibus talis fundi percipiat quantitatem pensionis jure census percipi solitam juxta morem patriæ, donec sors, seu pecunia subministrata restituatur: Reiffenst., *loc. cit.*, n. 110; Sporer, *loc. cit.*, n. 102; Layman, *loc. cit.*, n. 17, cum pluribus ibi citatis, Lugo et alii passim.

(47. Tertius justus titulus percipiendi fructus ex pignore, est, si pignus sit datum marito, donec ei solvatur dos promissa; tunc enim maritus, ut habeat unde onera matrimonii sustinere valeat, potest licite fructus percipere ex tali pignore sine diminutione sortis, donec ei dos promissa solvatur; textu expresso in cap. *Salubriter* 10, *De usuris*, ibi: « Sane generum ad fructus possessionum, quæ sibi a socero sunt pro numerata dote pignori obligatæ, computandos in sortem non credimus compellendum, cum frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonii supportanda. » Et sic doctores citati, et alii communiter.

(48. Quartus justus titulus percipiendi fructus ex pignore, est, si feudum, vel res emphyteutica detur in pignus domino ejusdem directo; tunc enim dominus directus potest licite sine diminutione sortis recipere fructus talis feudi sibi a vassallo oppignorati, dummodo, interim ab ipsius servitiis absteineat, cap. 1, *De feudis*, et cap. *Conquestus* 8, *De usuris*; quia, ut recte notat Fagnanus in d. cap. 1, *De feudis*, n. 3; cum vassallus interim non præstet conventa

(118) *Nota Romani theologi.* — Animadvertas velim, mutuam animo lucrandi foeneratorem esse, ut ex dictis liquet. Cavendum itaque est in eo, qui petenti mutuum illum contractum offert emptionis, et locationis, cavendum, inquam, in eo homine est, ne spe lucri incitatus, avaritiam foveat, et mentalem saltem usuram committat; quamobrem periculi plenus habetur hujusmodi contractus a nostris censoribus. Periculum quoque agnoscunt usuræ in alio contractu, de quo n. 51 quia dives cogit

servitia domino directo feudi, suspenditur obligatio contractus inter dominum et vassallum, et sic res feudalis redit ad primævam suam naturam, adeoque dominus directus licite percipit ejus fructus, ac si feudalis non esset, coalescente directo, ac utili dominio; et sic pariformiter est dicendum de re emphyteutica. Sic Layman, *loc. cit.*, n. 20, cum pluribus ibi citatis; Lugo, *loc. cit.*, num. 147; Sporer, *loc. cit.*, num. 102; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 114, et communis aliorum.

(49. Contractus ille, qui vulgo dicitur a *godere*, quo scilicet aliquis dat sufficientem pecuniam alteri, ut ipse, quandiu utitur dicta pecunia, cedat illi domum, vel aliam fructiferam rem interim fruendam, est licitus, si interveniat titulus lucri cessantis ex parte illius, qui pecuniam dat. Azorius, part. III, lib. IX, cap. 20; Silvester, in *Rosa aurea*, tract. 3, cas. 65; Lugo, *loc. cit.*, n. 136, et alii communiter; cum illa enim pecunia posset emere, v. g. tot loca montium, ex quorum fructibus posset solvere pensionem domus, seu rei fructiferæ, quam accipit. Unde, qui pecuniam dat, relinquit mutuatario interesse illud lucri cessantis pro pensione, quam pro domo, seu re fructifera ab ipso accepta deberet illi solvere singulis annis. Si autem desit titulus lucri cessantis, et qui dat domum, vel rem fructiferam interim fruendam, sit capax alienandi, seu vendendi, tunc contractus ille potest esse licitus, si dans pecuniam illam emat justo pretio dictam domum, vel rem fructiferam cum pacto illam retrovendendi, quoties debitor voluerit pretium refundere juxta dicta *supra* sub n. 45.

(50. Si quis alicui petenti mutuos, v. g. centum aureos, respondeat, non do tibi mutuos istos centum aureos, sed istis emoto a te decem tuas vaccas, quas tibi loco pro tali annua pensione mihi solvenda, excusatur communiter ab usura, si ille alter de facto vaccas utiles habeat proportionate ad talem conventam pensionem, et servantur conditiones requisitæ ad contractum justæ locationis, et præsertim hæc, ut periculum vaccarum spectet ad locantem tanquam emptorem, et earum dominum. Si vero ille alter revera dictas vaccas non habeat, nec habiturus sit, est merissima usura sub ficto emptionis, et locationis nomine palliata. Sic Major, in 4, d. 15, q. 46, causa secunda; Layman lib. III, tract. 4, c. 16, n. 13, vers. *Quæstio quarta*; La Croix, lib. III, p. II, n. 899; Sporer, tom. II, tract. 6, sect. 3, num. 97, ubi testatur de communi (118).

(51. Ab usura excusatur, qui mutuum a

pauperem et inopem mutuo ob indigentiam petentem ad locandam operam suam tempore messis, etc., atque hac via palliare usuram potest, vel mentalem fovere. Hæc vero notanda duxi, ut Christiani homines periculum agnoscant, in quo se exponunt peccandi, avaritiæ, et contra Christi mandatum « mutuum date nihil inde sperantes. » Idem dicito de contractu, qui vulgo dicitur, a *godere*, de quo n. 49. Nam quoties tradens pecuniam, jus sibi reservat ad eam repetendam, purum, putumque mutui contractum

se petenti respondet: « nolo tibi mutuare, sed hac anticipata pecunia conduco operas tuas ad futuram messem, seu vindemiam, dummodo tamen talis pecunia sit sufficiens, et proportionata merces ad dictas operas juxta consuetudinem regionis. » Sic supracitati doctores, Molina, et alii.

(52. Regulares non possunt accipere pecunias mutuo, vel ad cambium cum solutione alicujus lucri, vel cum obligatione honorum. *Vid. verb. ALIENATIO*, art. 4, n. 35.

(53. Mutui contractus lucrum supra sortem de sui natura non recipit Bened. XIV, tom. I, constit. 142, incip. *Vix pervenit*, § 3. (54. Nec quantitas moderata lucri, aut qualitas mutuatarii hujusmodi lucrum ab usura labe justificat. Idem. *ibid.* (55. Nihilominus quidam tituli ipsi mutuo extrinseci, aliique contractus a mutuo diversi justum reddere possunt proventum ultra sortem. Idem. *ibid.* (56. Sed non semper suppetere credendum est legitimum cum mutuo titulos, aut justas causas ineundi contractus a mutuo diversos. Idem. *ibid.* (57. Mutuum dare indigenti aliquando est de præcepto, juxta illud Christi Domini, *Matthæi* v, 42: *Volenti mutuare a te, ne avertaris.* Idem. *ibid.* (58. *Vide* tom. VII, verb. *USURA*, ubi in fine affertur dicta constitutio.

#### ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(59. Quod ait auctor n. 4 civitatem ex mutuo non teneri, si non probetur, pecuniam mutuo datam in rem ejus versam esse, id non est indistincte verum. Primo enim tenetur, etiam non probata hac versione, si mutuum datum sit omnibus civibus simul convocatis. Coler., *De process. executiv.* part. II, c. 3, n. 336 et seq.; Bachov., *ad Treutler*, vol. I, disput. 20, n. 5, litt. A.

(60. Secundo, idem est, si mutuum contractum sit ab illis, quibus civitas omnem in se potestatem dedit, ita ut penes illos omne imperium sit, populumque universum representent. Stryck., *Juridic. dissert.*, vol. IV, disput. 18, cap. 5, n. 34; Coler., *loc. cit.*, n. 361.

(61. Tertio, idem quoque est, si administrator vel etiam syndicus habeat speciale mandatum a civitate ad accipiendam pecuniam mutuo in certam causam, modo non appareat eum legibus civitatis, fini, et menti eorum, qui illum constituerunt, contrarium fecisse. Stryck., *ubi supra*, n. 36 et seq.; Losæus, *De jur. universit.*, part. III, cap. 4.

## N

#### NATALIS, NATALE.

SUMMARYUM.  
1. Hoc nomen anniversariæ quarumcunque rerum, seu lætarum, seu tristorum commemorationi

celebrat, ut, si ultra sortem quidpiam percipit, usura est, ac fructus, qui ex domo, vel re fructifera percipit, restituere tenetur ac lucrum cessans,

(62. Num vero id ipsum obtineat, quando administrator habet mandatum speciale mutuo accipiendi in genere, et non in certam causam? Affirmat autem Losæus, alleg., l. c., ne contrahentes confisi de mandato decipiantur; confer et Strick, *loc. mox cit.*

(63. Palet itaque ex his, tunc non teneri civitatem ex mutuo, non probata versione, quando ipsum mutuum fuit contractum nudo administratore, qui nec speciale mandatum ad illud contrahendum habebat. (64. Cæterum et hic, si « ex necessitate officii, quod gerit, » mutuo accipit pecuniam, tenetur civitas, etiam non probata versione, cum hoc in casu sit præsumendum mandatum civium. Stryck. eodem *loc. cit.*, n. 39.

(65. Quod de civitate dictum est, id ipsum intelligas de ecclesia, et alia quavis universitate.

(66. An in casibus illis, in quibus civitas vel ecclesia tenetur ex mutuo, non probata versione, habeat beneficium restitutionis in integrum, si revera pecunia illa in rem ejus non sit versa? affirmant Hartman. Pistor., lib. I, quæst. 37, n. 61 et sequent.; Stryck., *Juridic. dissert.*, vol. XIII, sect. 2, cap. 1, § 12. (67. At dubito, num amplecti hæc opinio possit in casu in quo pecunia mutuo data sit civibus omnibus simul convocatis.

(68. Opinio auctoris n. 18. quod nec jurato filiusfamilias renuntiare valeat *Sen. cons. Macedoniano*, de jure canonico difficultatem patitur, modo non expresse ad turpem causam credita ipsi sit pecunia, desuper dolose exactum juramentum; Stryck., *loc. mox cit.*, § 15, et ex professo Gothofred. de Jena, *De Sen. cons. Macedoniano*, sect. 8, aphoris. 8.

(69. De mutuo publico, quod ex publica necessitate exigit princeps a civibus, reluctantibus ad ipsum compellendo, *vide* Martin. Dautell. *De mutuo publico.*

#### MONITUM EDITORUM CASINENSIIUM.

Mutuum quod attinet, et quid tenendum quantum ad illos, qui capitalia sua tradunt, ut inde fructus percipiant juxta taxam a lege civili præscriptam, et quid amplius quoad confessarios sit in hac re attendendum, videre est in decretis, quæ a S. Sede Organo S. Pœnitentiariæ, ac supremæ congr. S. Officii edita sunt ab an. 1822 ad an. 1833 ac deinceps, quæ per extensum referemus ad calcem hujus tomi, sub v. *MUTUUM*, cum propriis considerationibus ibi adjiciendis.

olim tributum. — 2. Lætis deinceps festis datum. — 3. Hinc natalis Calicis. — 4. Papæ. — 5. Episcoporum. — 6. Quorum uterque etiam natalis ca-

in eo, qui pecunias dedit, sufficiens titulus non est, nisi omnes condiciones occurrant supra recensitæ.